

luntas credendi procedit ab aliqua vi naturaliter indita voluntati liberæ, sive illa dicatur naturalis et principalis in suo ordine, licet partialis, sive dicatur obedientialis et instrumentalis. de quo, dicto libro 6, dicendum est. Aliqua vero prorsus necessaria est ut actus possit esse vitalis, quia non posset secus effective fieri ab ipsa potentia, sed tantum a virtute addita, quod repugnat actui vitali, et præsertim libero. Eadem autem inchoata vis liberi arbitrii sufficit ut actus possit esse vitalis, ac proinde satis etiam est ut possit elici ab eodem libero arbitrio, ab ipso Deo immediate adjuto sine aliqua qualitate inhærente, ut probatum est.

9. *Ad id quod potentia sit constituenda in actu primo per formam inhærentem.*— Unde ad primam confirmationem, quod potentia debet constitui in actu primo per formam inhærentem, respondetur id esse verum de actu primo integro et totali: nam si aliqua entitas sit totum principium agendi, non potest actio tribui alicui supposito, nisi illa entitas inhæreat, vel informet illud suppositum, si non sit idem cum illo, ut est in Deo. Ratio autem est, quia quando forma distincta est totale principium agendi, non potest denominare subjectum, vel suppositum agens, nisi illi inhæreat; tum quia forma non dat agere, nisi quatenus dat esse; tum etiam quia una res non denominatur agere actione alterius rei supposito distinctæ, ut est per se notum, quia actio, ut actio, solum denominat illud a quo est. Secus vero est quando actus primus non est totalis, et in præsentibus habitus vel qualitas creata non est totale principium proximum eliciendi actum supernaturalem, sed est quasi partiale, seu complens principium proximum, et hoc modo dicitur constituere potentiam in actu primo, non dando actum primum, nam ipsa potentia per seipsum habet aliquam vim in actu primo, ut probatum est, sed dicitur constituere in actu primo complendo illum. Dicimus ergo hujusmodi actum primum, non integrum, sed completivum (ut sic dicam), posse suppleri per actum non inhærentem, sed assistentem ad efficiendum cum potentia, quia activitas potentia est distincta ab activitate alterius principii, et ideo, etiamsi illud non sit inhærens, potentia vere elicit actum, quia neque est nec denominatur per se eliciens actum a sola efficientia habitus, vel Dei, sed ab efficientia propria per vim innatam et non distinctam ab ipsa entitate voluntatis, quam explicavimus. Quocirca ut rem magis declarem, quan-

do voluntas cum habitu charitatis elicit actum charitatis, dupliciter denominatur efficiens tale actum; primo per se, quatenus per suam entitatem influit in illum actum; secundo per aliud, quatenus efficientia habitus tribuitur potentia cui inhæret. At vero quando voluntas elicit actum amoris sine habitu charitatis, et juvatur a Deo, fatemur non denominari efficientem ab influxu Dei, quia non est ab actu primo inhærente; retinet vero alium influxum per seipsam, et ab illo vere et sufficienter denominatur efficiens, quia ille est verus influxus effectivus, et solus est per se necessarius, et quasi essentialis ad actum vitalem et liberum. Atque hinc facile patet responsio ad cætera quæ in illa confirmatione attinguntur. In quibus æquivocatio committitur, tum confundendo principium principale comparatione potentia, vel comparatione cujuscumque alterius principii, et principium integrum cum partiali; tum etiam non distinguendo in intellectu et voluntate duplicem rationem, unam elicientis, et alteram recipientis actum. Anima ergo respectu voluntatis est principium principale cujuscumque actus voluntatis, etiam supernaturalis, quia ab illa habet tanquam a prima radice, quod sit vitalis. Et de hoc principio loquitur Aristoteles, quando inde infert animam esse intrinsecam formam, dans nimirum substantiale esse vitæ, quia inde habet operatio principaliter ut sit vitalis. Nihilominus tamen, respectu substantia actus, potest esse aliud principium principaliter in ratione virtutis activæ, et hoc modo dicimus habitum charitatis esse principaliter principium talis actus, quamvis non sit necessarium ad vitalitatem ejus. Et præterea etiam Deus ipse potest esse principaliter principium ejusdem actus loco habitus, quamvis non inhæreat potentia a quo proxime, et principaliter ab anima, habet ille actus quod vitalis sit. Quod totum procedit sive voluntas simul cum habitu, vel Deo dicatur in suo genere principale principium, sive instrumentale, dummodo influxus ejus ad vitalitatem actus sufficiat.

10. *Explicatur ea ipsa ratione intellectus et voluntas quomodo juvari possunt per principium extrinsecum et assistens.*— In quo etiam necesse est duas alias rationes potentia activæ et passivæ in voluntate vel intellectu distinguere, quia in ratione potentia activæ, neutra est integrum principium proximum talis actus, non solum propter concursum requisitum ex parte objecti, sed etiam propter influxum

necessarium ex parte facultatis operatricis, et ideo in genere efficientis juvari potest a principio extrinsecus adjuvante, sive inhærente, quando actus fit connaturali modo, sive assistente, et simul movente, quando actus fit modo quasi præternaturali. At vero in ratione potentia passivæ, est intellectus, vel voluntas totale principium, et est simpliciter necessarium ad recipiendum effectum actus vitalis, ut est intelligere, vel amare, ita ut non solum non possit ille effectus recipi in alia potentia, quæ non sit intrinseca ipsi animæ, ut viventi, verum etiam nec possit in hoc juvari a principio extrinsecus adjuvante, sive inhærente, sive non inhærente. Et ita actus charitatis, licet eliciatur a potentia cum habitu coefficiente, non recipitur in potentia, habitu ipso simul correceptante, ut est communiter receptum. Et in hoc genere causalitatis receptivæ actus vitalis, maxime fundantur discursus D. Thomæ et Theologorum ad probandum, nec hominem posse intelligere per intellectum qui sit substantia separata, nec Christi animam potuisse amare per voluntatem increatam; loquuntur enim de intellectu possibili, ut possibilis est, et de voluntate, ut informari potest amore, ita enim per illam anima vel homo in ratione amantis constituitur. Nam revera multo major repugnantia est quod actus vitalis in extrinseca substantia vel potentia recipiatur, et nihilominus constituat hominem intelligentem vel amantem, quam in hoc, quod idem actus ab extrinseco principio infusus, et in potentia animæ receptus, hominem tali anima informatum intelligentem, vel amantem constituat: unde non desunt Theologi, et antiqui et moderni, qui hoc posterius dixerint esse possibile, cum tamen, in primo, tam Averrois phantasia quam hæreticorum amentia omnibus incredibilis visa fuerit. Et licet probabilius sit etiam illud posterius repugnare de totali principio productivo talis actus, non tamen de partiali principio, seu adjuvante potentiam per seipsam intrinsece influentem, ut sæpe dixi: nam in hoc etiam non æquiparantur duæ illæ rationes potentia vitalis, scilicet activa et passiva, ut etiam declaravi.

11. *Solvitur objectio faciendi productionem, actus vitalis a solo Deo.*— *Ad tertiam confirmationem.*— Et per hæc responsum est ad secundam confirmationem; negamus enim sequi posse Deum solum, sine influxu voluntatis, efficere in illa actum quo ipsa amet, quia per hoc excluderetur intrinsecus in-

fluxus ipsius potentia, quod repugnat actui vitali, præsertim habenti suum effectum formalem in tali potentia. Hoc autem non sequitur ex eo quod Deus per seipsum adjuvet potentiam simul influentem, et suo auxilio elevet illam, ut ille influxus tali actui proportionatus sit, ut ex dictis satis patet. Tertia confirmatio in primis assumit falsum, quia generalis concursus Dei, per se ac præcise spectatus, non est influxus in causam, sed in effectum et productionem ejus, ut inferius dicam. Deinde nihil ad propositum refert, quia non tractamus de Deo, ut concurrente per modum primæ causæ, sed ut adjuvante per modum causæ proximæ, supplendo penuriam habitus, et quoad hoc dicimus non oportere ut id faciat media qualitate, vel motione prius indita ipsi potentia, sed per influxum immediatum in ipsum actum, quidquid sit de modo quo generalem concursum præstet.

12. *Responsio ad Concilium Tridentinum.*— Ad argumenta secundo loco proposita, respondemus Concilium Tridentinum, quoties loquitur de gratia quæ tangit cor, et præmovet illud ac præparat, ut consentiendo se disponat ad justitiam, explicare id per verba vocationis, illuminationis et inspirationis, quæ omnia gratiam excitantem significant. Præter hæc ergo nullam aliam inhærentem potentia, et præviam ad conversionem, seu liberam dispositionem ad justitiam, a Concilio Tridentino traditam vel insinuatam invenimus. Cum autem gratia excitanti adjungit adjuvantem, nunquam dicit illam esse præviam, nec per illam tangere Deum cor, sed potius sentit esse cooperantem nobiscum, dum dicit nos cooperari cum illa. Quid autem sit ista gratia adjuvans, non declarat; tum quia multiplex esse potest; tum etiam quia de hoc est varietas opinionum inter Theologos, quam dirimere non erat ad doctrinam fidei necessarium. Et ideo solum est certum influxum gratia adjuvantem esse quid creatum, et in nobis receptum, et gratiam ipsam excitantem suo morali modo adjuvare, quando homo actu consentit. De principio autem physice adjuvante solum habemus esse creatum et inhærens, quando per habitum datur; ante infusionem autem habitus solum legimus ipsummet Spiritum Sanctum movere, et adjuvare voluntatem. Unde ad alia omnia testimonia quæ ibi adducuntur, respondemus Spiritum Sanctum, eo ipso quod incipit supernaturaliter excitare hominem, incipere esse in homine

novo modo, non ut habitatorem, sed ut motorem qui excitat hominem, et ad illum juvandum præsto adest, et hac ratione dicitur aliquo modo tunc dari et infandi, et incipere hominem sanare, et similia, quæ juxta nostram sententiam facillimum et propriissimum sensum habent.

13. *Quid sit gratia adjuvans.*—Ex dictis autem inferri videtur ipsum Deum, seu Spiritum Sanctum, posse esse et appellari gratiam adjuvantem, quod aliquibus videtur magnum inconueniens, quia Augustinus, de Prædestinatione Sanctorum, cap. 10, dicit gratiam adjuvantem esse effectum prædestinationis: sed hoc parvi momenti est, quia, ut diximus in secundo Prolegomeno, dari potest aliqua gratia increata, et Spiritus Sanctus appellatur donum quod justis gratis datur, et nomen illud ex tempore illi convenit, licet ipse æternus sit, quatenus non ab æterno, sed in tempore nobis datur; ergo simili modo poterit appellari gratia, et quatenus adiutor noster est, poterit appellari gratia adjuvans, quæ denominatio ex tempore illi convenire potest, quia sumitur ab actuali influxu gratiæ adjuvantis, qui creatus est, et in tempore in nobis fit. Juxta autem communem usum vocis, gratia adjuvans proprie dicitur ipse influxus in nobis receptus: Deus autem melius adiutor, seu principium adjuvans nominatur. Denique ad ultimam rationem jam responsum est, ad efficiendos hos actus connaturali modo, infundere Deum nobis intrinseca et inhærentia principia illorum, quæ tantum sunt habitus, præter quos alia principia intrinseca et connaturalia vel esse non possunt, vel certe non sunt nobis revelata, nec secundum rectam rationem necessaria, et ideo ipsius Dei influxum, in hoc modo operandi, et sufficientem et magis accommodatum esse censemus.

## CAPUT XX.

QUID SINT GRATIA OPERANS ET COOPERANS, ET QUOMODO AD EXCITANTEM ET ADJUVANTEM COMPARENTUR.

1. *Divisio gratiæ in operantem, et cooperantem.*—Priusquam de concursu generali gratiæ dicamus, oportet alias divisiones auxiliorum gratiæ, quæ cum præcedenti in re ipsa coincidunt, explicare, ut sic distinctius procedamus, et circa concursum possimus latius immorari. Dividitur ergo ulterius gratiæ auxiliium in operans et cooperans, circa quam di-

visionem, omissis pro nunc Scholasticorum opinionibus, ad rem, et in se, et juxta Augustini mentem explicandam, tria breviter dicenda videntur. Primum est, gratiam convenienter dividi in operantem et cooperantem; hæc assertio certa esse debet. Primo, quia licet sub his formalibus terminis, neque in Conciliis, neque in Scriptura reperiatur, tamen ex his fontibus illam hauserunt communiter Theologi: divus Thomas 1. 2, quæst. 11, artic. 2; et ibi Conrad., Cajetanus, et alii expositores; Alens., 3 part., quæst. 69, numer. 3, artic. 1; Scholastici communiter in 2, distinct. 26; ubi Bonavent., quæst. 6; Albert., artic. 6; Durandus, quæst. 3; Gabr., quæst. unic., artic. 1 notabili; et Marsil. in 2, quæst. 17; Antonin., 4 part., tit. 19, cap. 3; Sot., 1 de Natur. et grat., cap. 16; Ruardus, artic. 7 contra Luther.; et Dried., lib. 2 de Grat. et liber. arbitr., tract. 1, cap. 2; et Bellarmin., lib. 1 de Grat. et liber. arbitr., cap. 14; Staplet., lib. 4 de Grat. et liber. arbitr., cap. 17; Vega, libr. 6 in Trident., cap. 5 ad 6; et invenitur etiam in Prospero, epistol. ad Augustinum, ubi operantem gratiam vocat præoperantem, ut antecessorem ejus ad consensum liberi arbitrii indicet, ut mox videbimus.

2. *Ex Augustino.*—Secundo, sumpta est hæc divisio ex Augustino, lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 17, ubi inter alia multa dicit: *Deus cooperando perficit quod operando incipit, et in verbis operandi et cooperandi, satis indicat gratiam operantem et cooperantem, quas magis explicans addit: Ut velimus sine nobis operatur; cum autem volumus et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Ipse autem Augustinus doctrinam illam sumpsit ex Paulo, ad Philip. 2, dicente: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*: nam operari velle, dicit pertinere ad gratiam operantem; perficere autem ad cooperationem. Et aliis locis significat Paulus utramque gratiam; nam cum ad Rom. 9 dicit: *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, operantem gratiam significat, ut sentit August., Enchirid., cap. 22; et ad eandem pertinet quod 2 Corinth. 3 dicit: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*: nam cogitatio sancta, et juxta doctrinam Augustini, ad operantem gratiam pertinet. Illud vero, 1 ad Corinth. 15: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, spectat aperte ad cooperantem. Unde dixit August., serm. 13 de Verb. Apostol., capite undecimo: *Si non esset operator, non esset ille cooperator*; unde Prosper, in Epist. ad Augustinum, inter alia

postulat ab eo explicari, *quomodo per istam præoperantem et cooperantem gratiam, liberum non impediatur arbitrium*: ubi operantem gratiam vocat præoperantem, non quia diversa sit, sed, ut dicat, præcedere ad nostram cooperationem, cooperantem vero esse simultaneam. Atque etiam dixit Bernardus, lib. de Grat. et liber. arbitr., in principio: *Gratiæ operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium dum consentit.* Et Anselmus, in eodem locum 1 ad Corinth. 15, cum Gregorio, lib. 16 Moralium, cap. 11: *Superna* (inquit) *pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiscum.*

3. *Ex Concilio Arausicano.*—Tertio, idem sumitur ex Concilio Arausicano, cap. 4 et 9; dicit enim multa bona operari Deum in nobis, et alia operari nobiscum: nam primum officium est gratiæ operantis, secundum cooperantis. Concilium etiam Tridentinum hoc indicat cap. 7, et can. 4; nam cum ait nos cooperari gratiæ Dei, clare dicit gratiam operari nobiscum; et in eodem sensu dixit Ambrosius, lib. 2 in Lucam, gratiam Dei studiis cooperari humanis: operantem autem gratiam declaravit Concilium, quando dixit Deum incipere vocando, et tangendo cor. Ac denique utramque attingit Cælestinus Papa, epistola ad Gallicanos, capite decimo-secundo, dicens: *Agit Deus in nobis, ut quod vult, et velimus et agamus, nec esse otiosa in nobis patitur, quæ exercentia, non negligenda donavit, ut et nos cooperatores simus gratiæ Dei.* Ex quibus duobus, primum ad operantem, secundum ad cooperantem gratiam pertinet. Ultimo declarari hoc potest ratione, quia, ut supra diximus, Deus incipit in nobis operari illuminando, et inclinando voluntatem, ut velit, quam gratiam operatur in nobis sine nobis: ad actus autem liberos aliter nobiscum operatur. Sed hæc duo genera gratiarum per illa verba declarantur; ergo merito data est illa divisio, et hæc ratio magis ex sequentibus declarabitur.

4. *Hæc divisio coincidit cum illa in excitantem et adjuvantem.*—Probatur ex Augustino. —Secundo, dicendum est divisionem hanc, quoad rem ipsam, coincidere cum præcedente, ita ut gratia operans eadem sit quæ excitans, et cooperans eadem quæ adjuvans, solumque differant ratione, seu potius in vocum etymologia. In hac assertionem loquor secundum mentem Augustini, nam de sententiis Scholasticorum paulo inferius dicam. Hanc ergo fuisse Augustini mentem ostendo, primo ex libro se-

cundo de Grat. et liber. arbitr., capite decimo-septimo, ubi inter alia dicit: *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Hæc autem duo munia in locis supra allegatis tribuit Augustinus excitanti et adjuvanti gratiæ; ergo sunt eadem auxilia diversis vocibus declarata. Idque magis declaravit in lib. 2 de Peccator. merit., cap. 18, ubi docet ideo dictum esse a Paulo: *Deum operari in nobis velle et perficere*, quia sine illo excitante et adjuvante nihil possumus. In aliis autem locis, ut vidimus, ex illa sententia Pauli colligit operantem et cooperantem gratiam; ergo has non distinguit ab excitante et adjuvante. Et idem argumentum sumitur ex Enchirid., cap. 32, dum ait Deum operari voluntatem bonam in nobis, quia *voluntatem præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam.* Præterea frequentissime Augustinus tribuit vocationi quod per illam operatur Deus in nobis ut velimus, et quod facit ut faciamus. Et hoc ipsum tribuit gratiæ operanti: at vero vocatio, gratia excitans est, ut constat ex Concilio Tridentino. Ergo gratia excitans est operans, ac subinde adjuvans est cooperans. De antecedenti videri potest late Augustinus q. 2 ad Simplician., et de Spirit. et litter., c. 34, et lib. 2 de Peccator. merit., c. 17, et de Prædestinatione Sanctorum, c. 19, et 2 Retract., cap. 1, et Epistol. 107. Hic accedit elegans Bernardi sententia mirum in modum rem hanc declarans, lib. de Grat. et liber. arbitr., sub finem. Cum enim dixisset omnia interiora bona, quæ in nobis fiunt, soli gratiæ esse tribuenda, subiungit: *Ipsa liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum, roborat ut perducat ad actum, servat ne sentiat defectum; sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mistim non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur, de quo testimonio plura in cap. 24 dicemus.*

5. *Ex Concilio Tridentino.*—Confirmari præterea potest assertio et deduci ex Concilio Tridentino, isto modo; nam Concilium sufficienter nos docuit auxilia gratiæ ad salutem necessaria: at vero ad actus ad salutem et justitiam necessarios non requirit alias gratias præter excitantem et adjuvantem; ergo sub illis comprehendit operantem et cooperantem. Deinde idem Concilium expresse dixit nos cooperari adjuvanti gratiæ, unde tacite signifi-